

SOLUTIO :

91. — *R. ad 1^m Quæ.* Certo peccant graviter parentes qui, sine justa causa, minis, vi, fraude, filios a Religione avertunt. Nullus enim eos a peccato mortali excusat, ait *S. Ligorius, n. 77.* — Quid vero, si eos avertant precibus vel promissionibus? — *R.* Omnino tenendum, ait *S. Alphonsus ibidem*, cum sententia communi Doctorum, hos parentes peccare graviter. Ratio est, quia hoc non potest esse sine gravi damno illius qui a Religione retrahitur. Quare, sive fiat vi, sive fraude, aut precibus, non potest a peccato gravi excusari. Imo plures Theologi damnant de mortali non solum parentes, sed etiam extraneos, qui aliquem a statu religioso avertunt, quia hoc multum caritati repugnat. Sed parentes, avertentes filios a Religione, duplex peccatum grave committunt, scilicet, unum contra caritatem, et alterum contra pietatem, quia ex officio proprio tenentur educationi et profectui spirituali filiorum vacare. *S. Lig. ibid.* Attamen, concludit *S. Doctor*, non est negandum quod plures parentes excusari possint a peccato mortali, saltem per aliquod breve tempus, ratione ignorantiae, vel inadvertentiæ, quæ de facto in eis inesse potest, ob vehementem carnis affectum erga filios.

92. — *R. ad 2^m Quæ.* *Affirm. per se.* — Ratio est, quia filii sunt omnino liberi circa status vitæ electionem. Hoc autem præcipue valet pro statu religioso. Igitur, circa electionem status religiosi, filii non tenentur consilium genitorum exspectare; imo nec expedit ut exspectent, quia in hoc parentes non tantum nullam habent experientiam, sed etiam quia ob proprium commodum mutantur in hostes, ut ait *S. Thomas, 2. 2, q. 189, a. 10*, et post eum *S. Ligorius, n. 68.* Attamen, si filius facile et tuto consensum parentum obtinere possit, convenit ut aliquantulum exspectet, quo illum consequatur. Si vero juste timeat ne parentes vocationi obstant, ab omni culpa excusatur, si, iis insciis, domum relinquat et Religioni se addicat. *S. Lig. ibid.*

93. — *R. ad 3^m Quæ.* Seu, quid ad casum? Pessime egerunt parentes LAURENTIÆ, et præsertim mater, adeo crudeliter votis filiæ obstando; nec dubium est, quin gravi peccato inquinati fuerint. Hujusmodi parentes malunt perire cum filiis quam salvari sine eis, ut ait *S. Lig. n. 68.* Hinc exclamat *D. Bernardus, Epist. III: O durum patrem! O sævam matrem! O parentes crudeles et impios! non parentes, sed peremptores: quorum dolor, salus pignoris; quorum consolatio, mors filii est?* Quot parentes injuste vocationi filii vel filiæ se opposcentes, ut LAURENTIÆ genitores, ejus morte puniti sunt? Cur lacrymas profundis, impia mater, in corpus examine filiæ tuæ? nonne tu ipsissima eam peremisti?

CASUS VII.

CONSENSUS EPISCOPI PRO CLERICO

In vocationem religiosam.

FIRMINUS, neo-Sacerdos, ut quamplurimorum salutem impendi posset, Religioni in qua sacræ missiones peraguntur, nomen dare statuit. Licen-

tiam igitur ab Episcopo, enixis precibus, efflagitat, ut pium propositum assequi valeat. Hic autem absolute obsistit. FIRMINUS, iterato sæpius et frustra quidem postulato, quadam intempesta nocte, inscio Prælato, aufugit. Indignabundus vero Episcopus in subditum suspensionem fulminat, nisi statim ad diœcesim redeat.

HINC :

QUÆR. 1^o *An clericus Religionem ingredi possit invito Episcopo?*

2^o *An fuerit valida Episcopi censura? et quid ad casum?*

SOLUTIO :

94. — *R. ad 1^m Quæ.* Episcopus minime impedire potest Clericos, vel Parochos sibi subditos, ne Religionem ingrediantur. — Constat ex *Jure canonico, cap. Clerici, 19. q. 1.* Excipe, nisi ingressus alicujus Clerici gravi detrimento esset Ecclesiæ cui erat addictus. Si igitur aliis, ordinariæ, Episcopus consensum deneget, Clericus, eo invito, proficisci potest, ut alio in loco Religionem amplectatur. Parochus, aut alius habens curam animarum, tenetur Episcopum prius monitum facere de suo proposito, ne grex sine custode deseratur. Si vero Episcopus dissentiat, Presbyter nihilominus Religionem ingredi poterit. Sic *Bened. XIV, Bulla: Ex quo dilectus.....*

95. — *R. ad 2^m Quæ.* Nequaquam. Censura enim ferri nequit nisi in delinquentem. Porro, ex dictis, FIRMINUS non fuit delinquens; quia ille non est delinquens, qui jure suo utitur. Ergo omnino excusandus est FIRMINUS; ergo irrita est suspensio, quam fulminavit Episcopus.

CASUS VIII.

VOTUM PAUPERTATIS 1^o.

DAMARIS, Monialis professa, inaudiens patrem suum supremum diem obiisse, disponere vellet de parte hæreditatis sibi obtingente, cui nullatenus ante Professionem renuntiaverat, tum in pias causas, tum in alicujus fratris commodum. Cum autem voto suo satisfaciendi facultatem a Superiorissa postulasset, hæc obstupescens: « Bone Deus, ait, quid est quod petis, Soror? Nescis igitur hoc nequaquam fieri posse, ne dispensante quidem Episcopo, imo vel ipso Papa, sed solo Deo Omnipotente, cui solemniter Professio facta est? »

HINC :

QUÆR. 1^o *Qualis sit efficacia voti paupertatis, sive simplicis, sive solemniter?*

2^o *A quo jure oriatur? an a divino, vel ecclesiastico?*

3^o *Quid ad casum?*

SOLUTIO :

96. — *R. ad 1^m Quæ.* Votum solemne paupertatis reddit Religiosum inhabilem ad rem quamlibet, prætio æstimabilem, possidendam tanquam propriam. Votum vero simplex non reddit quidem Religiosum inhabilem

ad possidendum, ratione domini directi; sed efficit ut nulla re uti possit, neque de ulla disponere valeat, absque Superioris licentia.

R. ad 2^m Quæst. Votum, sive simplex, sive etiam solemne in Religione, ex sola Ecclesiæ institutione repetendum est. Ordines enim religiosi non constituuntur, nisi ex sola Ecclesiæ dispositione et approbatione: ergo neque taliter vel aliter esse possunt, nisi Ecclesia sic statuente et ordinante. Constat etiam ex Bulla *Ascendente Domino*, *Gregorii XIII*, ubi dicitur: *Nos considerantes voti solemnitate sola institutione Ecclesiæ inventam esse*, etc. Ergo Papa in votis religiosis quibuscumque, etiam solemnioribus, dispensare potest, sicut in votis extra Religionem emissis. *V. Comp. n. 147.*

97. — *R. ad 3^m Quæst.* DAMARIS de jure communi disponere non potuit de parte hæreditatis sibi obtingente, neque in pias causas, neque in fratris commodum, neque ullo alio modo, quia per Professionem religiosam omnino inhabilis effecta est ad disponendum. Neque hanc inhabilitatem tollere potest Superiorissa, neque Episcopus, sed solus Papa, juxta superius dicta. Secus vero, si DAMARIS in aliqua communitate religiosa Galliæ versetur; quia ibi, propter difficultates temporum, S. Sedes votorum solemnitate non agnoscit. Quapropter Moniales in Gallia, stante præsentis rerum statu, non dicuntur Religiosæ stricto sensu; sunt tamen vere et proprie Religiosæ, sed non stricte, aut strictissime tales, ut ex variis S. Pænitentiarie responsionibus colligi videtur.

CASUS IX.

VOTUM PAUPERTATIS 2°.

FLORINUS, Religiosus in Gallia, vix Professionem emiserat, cum aliqua omissio in bonorum suorum dispositione ipsi in mentem recurrit. Existimat autem se, permittente Superiore, hunc defectum posse supplere, saltem juxta intentionem suam interpretativam disponendo, præsertim secundum opinionem ex qua adstruitur, non dari nunc in Galliis solemnem votorum Professionem. Superior autem, sententiæ oppositæ adhærens, se consensum suum præstare posse negat prorsus.

HINC :

QUÆR. 1° *An agnoscenda sit Professio solemniter pro Monialibus in Gallia, in statu actuali rerum?*

2° *An agnoscenda sit pro viris religiosis?*

3° *Quid ad casum?*

SOLUTIO :

98. — *R. ad 1^m Quæst.* Neg. Hoc pluries ab Ecclesia per S. Pænitentiarium declaratum est, præsertim in responso ad Episc. Lemovicensem, ann. 1820. *V. Comp. n. 177, 178.* Attamen Moniales in Sabaudia degentes Professionem solemnem adhuc emittunt, licet hæc provincia gallicæ domi-

nationi nuper adnexa fuerit, quia res religiosæ vices ordinationis civilis non subeunt. Præterea hoc etiam Declaratione *Pii XI* confirmatum est (1).

R. ad 2^m Quæst. Affirmative, quidquid dixerint plures, qui, nullo prorsus fundamento innixi, effutierunt idem de viris religiosis ac de Monialibus dicendum esse.

Etenim: 1° nihil fuit mutatum a potestate ecclesiastica relative ad vota Religiosorum in Gallia; ergo remanent ligati votis solemnibus, sicut prius erant, antequam perturbationes politicæ exorirentur. Res enim religiosæ non sequuntur vices mutationis politicæ, et firmiter permanent, donec a Sede Apostolica ipsa mutantur; atqui nulla mutatio a S. Sede facta est pro votis Religiosorum, sed tantum pro votis Monialium: ergo...

2° Constat ex declaratione S. Cong. Episcoporum et Regularium, Religiosos Benedictinos monasterii *Solesmes*, in Gallia, solemniter vota emittere; ergo nova legislatio civilis non obstat solemnitate votorum; ergo idem dicendum de aliis Ordinibus religiosis, Professionem solemnem emittentibus. *V. Comp. n. 184.*

99. — *R. ad 3^m Quæst. Quid de FLORINO?*

FLORINUS tardius oblivionem reparare cœpit. Per Professionem factus est omnino inhabilis ad quidpiam possidendum. Ergo se gerere debet ac si esset mortuus. Neque, dispensante Superiore aut Episcopo, habilitatem in casu particulari recuperare valet; neque inniti potest in opinione aliquorum, qui dicunt vota Regularium in Gallia non esse solemniter, quia hæc opinio minime probabilis est, utpote omni prorsus fundamento destituta.

CASUS X.

VOTUM PAUPERTATIS 3°.

PAMPHILUS, Religiosus, nollet quidem unquam sacrum paupertatis votum graviter infringere, sed de culpis levibus vitandis sat incuriosum se habet. Ipsi summopere arrident benigniores Theologorum opiniones. Itaque facile sibi persuadet tam amplam materiam ad peccatum grave requiri in Religioso ac in filiofamilias, nec unquam dari culpam lethalem in usu rerum sine Superioris facultate, neque in donorum acceptance, quia in his justitia non violatur. Præterea, facile licentiam præsumit ad accipienda, vel retribuenda munuscula. Nec existimat ullatenus lædi paupertatem, si ab extraneis pecuniam in pauperes, vel causas pias erogandam, inscio Præfato, accipiat.

HINC :

QUÆR. 1° *Quænam materia sit gravis contra votum paupertatis?*

2° *An vel quando læsio paupertatis, seclusa injustitia seu furto, ut in donis acceptis, gravis evadere possit?*

3° *An licentia præsumi possit ad acceptandum, vel donandum?*

(1) Sabaudia Galliæ adnexa est anno 1861.

QUER. 4^o *An Religiosus, seclusa facultate, accipere possit pecuniam in pias causas impendendam?*

SOLUTIO :

100. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o In peccatis quæ sunt simul contra justitiam et contra Religionem, materia gravis censetur ea quæ in furto peccatum mortale constituit. Plures quidem Theologi dicunt, Religiosos esse filiifamilias æquiparandos, et proinde materiam majorem requiri pro peccato gravi contra votum, quam ea quæ in furto ordinario requiritur. Sed hæc sententia sat probabilis non apparet. Superior enim non est dominus rerum conventus, ut paterfamilias honorum suorum, neque Religiosi sunt in spe domini, ut filiifamilias, etc. *V. Comp. n. 159.*

2^o In peccatis contra solum votum, seu Religionem solam commissis, magis controvertitur. Alii dicunt eandem materiam quæ in furto gravis est, sufficere etiam ad peccatum grave, in culpa contra solum votum. Alii non improbabiler majorem quantitatem requirunt, præsertim si accipias dona ab extraneis, non ad usum proprium, sed ad ea aliis eroganda. *V. Comp. n. 160.*

101. — *R. ad 2^m Quæ.* Certo materia gravis esse potest, licet justitia non lædatur; quia, ut dictum est, multi Theologi non distinguunt inter violationem justitiæ, vel solius Religionis. Alii dicunt quod, seclusa justitiæ violatione, requiritur circiter materia duplo major, v. g. valor 10 vel 12 francorum, imo amplius, si quis accipiat ab aliis, non pro se, sed ad donandum, quia minor est actus proprietatis.

R. ad 3^m Quæ. Licentia ad acceptandum, vel donandum, licite præsumi potest quando Superior adiri nequit, et urget occasio opportuna in qua censeretur Superior facultatem concessurus, si præsens adesset. Sed res acceptata, vel data ex præsumpta licentia, postea Superiori manifestari debet, nisi consumpta fuerit. *Lacroix, n. 109.*

102. — *R. ad 4^m Quæ.* *Neg.* Ratio est, quia esset actus proprietatis, siquidem donatarios ad libitum Religiosus ille seligeret. Secus autem, si donatarius esset donatori manifestatus, seu ab eo determinatus; quia tunc Religiosus esset intermedius, seu merum instrumentum, quo donator ad donandum uteretur. *V. Comp. n. 157.*

CASUS XI.

VOTUM PAUPERTATIS 4^o.

JUNIPERUS, Religiosus, ex singulari affectu erga sanctam paupertatem : 1^o recusare solet quæcumque donaria a parentibus, amicis vel personis piis oblata intuitu ipsius, v. g. ex gratitudine, amicitia, aut benevolentia captandæ gratia. 2^o Recusat etiam ea quæ ipsi offeruntur intuitu monasterii, v. g. ratione eleemosynæ, vel occasione sacri ministerii. 3^o Si quid jam acceperit, id donatori restituere properat. 4^o Avertit consanguineum a legato sibi relinquendo; imo, hæreditati jam apertæ renuntiavit.

HINC :

QUER. 1^o *An, vel qualiter JUNIPERUS peccaverit contra justitiam vel caritatem erga Monasterium?*

2^o *An sit ratio sufficiens dona oblata recusandi, si inde Religiosus consecuturus sit majorem independentiam, vel ministerii sui libertatem?*

SOLUTIO :

103. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o JUNIPERUS non peccavit contra justitiam neque contra caritatem, recusando ea quæ ipsi soli, vel saltem intuitu ipsius, ad captandam ejus benevolentiam aut amicitiam, offerebantur. Causa enim valde laudabilis est, cum agat tum singulari affectu erga paupertatem, tum ad declinandam incommoda, sæpe gravia, quæ ex acceptance donorum sequuntur.

2^o Peccavit autem JUNIPERUS recusando ea quæ, intuitu Monasterii, ratione eleemosynæ ipsi offerebantur, non quidem *per se* contra justitiam, quia Monasterium nullum censetur habere jus *acquisitum* in has donationes, sed contra *caritatem*, scilicet, Religionis suæ bonum impediendo, nisi justam causam recusandi habuerit. *S. Lig. n. 28. — V. Comp. n. 158.*

3^o Peccavit vero contra *justitiam*, in tertio casu, restituendo donatori id quod jam pro Monasterio acceptaverat, quia, acceptance nomine Monasterii facta, eo ipso Monasterium ad illud donum jus *acquisitum* jam habebat.

4^o In quarto casu peccavit graviter contra *justitiam*, renuntiando sine licentia hæreditati jam apertæ, et contra *solam caritatem*, avertendo consanguineum a legato sibi relinquendo, ut ex dictis apertum est.

104. — *R. ad 2^m Quæ.* *Affirmative.* Tum enim Superiores non possunt esse rationabiliter inviti, siquidem independentia ab extraneis, et ministerii libertas, ad bonum operandum maxime necessaria sunt. Sedulo igitur ad circumstantias in praxi attendendum est.

CASUS XII.

VOTUM PAUPERTATIS 5^o.

FLORINA, Monialis, paupertatis quidem, sed non minus caritatis et misericordiæ amantissima, parcius vivendo, frequenter sibi subtrahit quid ex esculentis, aut aliis rebus sibi ad usum concessis, ut eadem in pauperes, vel puellas in monasterio educatas, elargiatur. Quondam, cum iter suscepisset, pedestris illud confecit, nec ad cauponam divertit, et pecuniam ex parcimonia habitam in pia opera impendit. Munus suum diligenter obire satagit, ut sibi supersit tempus ad laborandum pro neptibus in monasterio educatis. Gaudet vero FLORINA ex eo quod, illæsa paupertate, adeo facile operibus misericordiæ incumbere valeat, quin semper ad Superiorissam recurrere debeat.

HINC :

QUER. 1^o *Quid de conscientia FLORINÆ in genere?*

2^o *Quid ad singulos casus?*

SOLUTIO :

105. — *R. ad 1^m Quæst.* Conscientia FLORINÆ erronea est. Falsum est enim Monialem posse, illæsa paupertate et obedientia, tam facile operibus misericordiæ vacare. An autem FLORINA versetur in ignorantia vincibili, aut invincibili, non potest sic in genere determinari. Hoc pendet a variis circumstantiis, utrum, nempe, rite de voto paupertatis fuerit edocta. Quare non interrogat Confessarium, si idoneus sit, vel alium, rerum religiosarum haud ignarum? Non videtur tantum amans caritatis et operum misericordiæ, sed etiam propriæ voluntatis, cum adeo gaudeat ex eo quod possit, ut putat, liberior agere independenter a voluntate Superiorum.

106. — *R. ad 2^m Quæst.* FLORINA lædit paupertatem in singulis præfatis casibus; etenim : 1^o lædit paupertatis votum, quando in pauperes vel in puellas educandas distribuit ea, quæ parcius vivendo sibi subtrahit, quia hæc ad ipsius usum quidem, sed non ad alium finem conceduntur; 2^o idem dicendum de iis quæ ex parcimonia in itinere facta habuit, ob eandem rationem; 3^o tandem, neque magis colligere potest ea quæ obtinet, munus suum cum magna diligentia obeundo, vel in superfluo tempore pro neptibus laborando; quia in his omnibus varios proprietatis actus procul dubio exercet. Hæc quidem generatim dicenda sunt; sed dari possunt exceptiones pro quibusdam Ordinibus, in quibus paupertatis votum non esset adeo *strictæ* interpretationis.

CASUS XIII.

DOMINIUM RELIGIOSORUM 1^o.

SIGISMUNDUS, votis simplicibus in Ordine religioso emissis, ex propriis redditibus, inscio Superiore, donaria notabilia in consanguineos, amicos, et in pauperes, cum conscientia dubia elargiri non dubitavit. Testamentum quoque suum in fratris sui favorem, cum legatis in suam Communitatem absque Prælati facultate, condidit. Verum, re quondam Confessario aperta, tremebundus audivit se toties mortaliter peccasse contra paupertatis votum, et toties casum reservatum incurrisse; imo invalidas prorsus donationes fecisse. Quapropter obligatur *sub gravi* ad rem totam Superiori manifestandam, necnon ad donatarios de obligatione restitutionis monendos.

HINC :

- QUÆR. 1^o *Quale possit esse dominium Regularium vel Communitatum religiosarum?*
 2^o *An SIGISMUNDUS reapse in his graviter peccaverit, et casum reservatum incurrerit?*
 3^o *An donationes et testamentum invalide fecerit, et an donatarii ad restitutionem teneantur?*
 4^o *An Superior, post factum, ab ipso de omnibus monendus fuerit?*

SOLUTIO :

107. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o Regulares solemniter professi nihil omnino

tanquam suum possidere valent, ut supra dictum est. Religiosi vero, votis simplicibus tantum ligati, capaces sunt proprietatis, ac proinde bona sua servare possunt et nova acquirere, dummodo nullam faciant dispositionem absque Superioris facultate.

2^o Communitates autem religiosæ *per se* non sunt incapaces domini, quia personam moralem constituunt, sicut in qualibet alia societate; nec præterea impediuntur paupertatis voto, quod solos Religiosos ut privatos afficit.

Dixi *per se*, quia sunt quidam Ordines qui, ex proprio instituto, nulla bona possidere valent, ut Ordo Capucinatorum, etc. — *Lugo, D. 3, n. 74.*

108. — *R. ad 2^m Quæst. Affirm.* Ratio est, quia actum proprietatis in re gravi quoad singula admisit, licet nemini injustitiam intulerit, imo licet, in aliquibus, in Communitatis suæ favorem disposuerit. Votum enim paupertatis prohibet strictum usum, vel dispositionem etiam rerum suarum absque Superioris facultate; proinde dispositio quælibet de aliqua re tanquam sua, in materia gravi, peccatum mortale et reservatum inducit.

109. — *R. ad 3^m Quæst. Probabilius* SIGISMUNDUS valide de rebus disposuit, licet illicite; quia, cum dominium bonorum suorum adhuc servet, non agit invalide, actus domini exercendo: proinde tantum peccat contra fidelitatem Deo promissam, violando votum quo dispositio quælibet de bonis, etiam propriis, prohibetur. Ergo donatarii ad nullam restitutionem tenentur. — *Lugo, D. 3, n. 79.*

110. — *R. ad 4^m Quæst. Neg.* Etenim, post factum, non fuit necessario monendus Superior, neque ratione validitatis, neque ratione liceitatis. Non debuit quidem moneri ratione validitatis, siquidem donationes a SIGISMUNDO factæ fuerunt validæ, ut dictum est; neque ratione liceitatis, quia peccatum jam commissum est, nec proinde amplius impediri potest. Aliud esset, si res ad usum suum servasset, quia usus illicitus perseveraret, nec continuari posset nisi a Superiore approbaretur.

CASUS XIV.

DOMINIUM RELIGIOSORUM 2^o.

ELIGIUS, Professionem solemnem in Ordine religioso facturus, mortua matre, vivente autem adhuc patre, POLYDORUM, fratrem suum, aliis fratribus prætermittis, hæredem suum omnium bonorum, tam paternorum quam maternorum, instituit. Sed, Professione vix emissa, ecce infaustam notitiam mortis tum genitoris, tum etiam POLYDORI fratris, accipit. Paulo post MATHURINUS, ejus patruus, etiam e vivis excedens, ipsi pinguem reliquit hæreditatem. Quid tunc consilii capesset ELIGIUS? Patru hæreditatem colligens, eam suo Monasterio addixit. Bona autem quæ fratri POLYDORO legaverat, PAULINO, alteri fratri, novo testamento donavit.

HINC :

- QUÆR. 1^o *An ELIGIUS disponere potuerit de bonis paternis vivente patre, ante Professionem?*